

Albert Willebrand

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Albertus Willebrandt/ U.I.D.
Cod. Prof. ... Ad Exequias Quas ... luveni Casparo Kretschmer/ Wratislaviensi,
Moestissimus Patruelis Hodierna ... decenter adornabit, Omnes omnium Ordinum
Cives Academicos ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1660


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771910738>

Druck Freier  Zugang



Willebrandt, A.
in
C. Kretschmer.
Rostock, 1660.

21



PROGRAMMA
Quò
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
ALBERTUS Willebrande/ U. J. D.

Ord. Prof., Ducal. Consist: Assessor,

AD
EXEQVIAS
Quas

Quasimo, non mediocris expectationis, piissimog;

JUVENI

CASPARO Bretschmer/

Wratislaviensi,

Mœstissimus Patruelis

Hodiernâ horâ I. in D. JACOBI ÆDE
decenter adornabit,

Omnes omnium Ordinum Ci-
ves Academicos, diligenter ac of-
ficiosè invitat.




ROSTOCHII,

Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ. 1666.

21.

108



RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
ALBERTUS Willebrand/ D.

Vah! quam stolidam, quam inanem mortalium conditio!
qui sic ad improbitatem & mala sunt propēsi. Quin,
tam mundana & fragilia diligunt, adeoq; in vitā de
ventre, ac corporis saburrā sunt solliciti; tanquam
in sempiternum, vitam hanc producturi in hisce terris, &
nunquam corporis hujusce vinculis emigraturi. *Quicquid n.
etatis retrō est, mors tenet.* At quis ille unus ē tot millibus,
qui huic veritati atq; sententiæ utrō subscribat? Aliorum
funera nē quidem nos tangunt; senes, juvenes, æquē cæcu-
tiunt. Nemo ab alius exemplum sumit: læti vicinis nostris
parētamus. Penē ad Scrobē & tumulū (proh hominū dementi-
tiā) helluandi ac pergræcādi plurimis cupido est. *Animus no-
ster, oblitio factorum, audax, subdolos, varius, (ut Sallustius scribit)
immoderata, incredibilia, nimis alta semper concupiscit.* O quam
plurimi jam sunt cujuslibet rei simulatores ac dissimulato-
res. Amici de mediō demigrāt? flocci hæc pendunt alienaq;
hæc putantes, sæpē lusum & materiem risus hinc sumunt.
Adest, & ostia pulsat Pollinctor? At quis memoriam
sui fati hinc mutuatur? O mentes, ignaras futuri! *O homo,
quantula res sumus.* Crescunt in dies corrupti mores. Pellit-
tur de forō justitia; fides, pietas, religio rarissimē tutum
larem invenit! jurgia, discordiæ, simultates, quæ invicem
exercentur, quotidie majus ac majus sumunt incrementum.
O tempora! ô mores! ubinam gentium sumus? Quot verò
sunt, qui seriam vitæ finis subeunt ac suscipiunt cogitationē?
Mehercule! cerebrō vacuum caput ille habere, Megarāque
quasi percussus esse judicatur, qui quotidie vitæ suæ sum-
mam

nam manum imponit; qui accuratissimo mentis oculo, rapidissimi temporis, per quod citatissimi currimus, celeritatem respicit. At verò ille dignus est, qui ex Apollinis cortinâ sapientis nomen fuerit adeptus; illumq; hominem maximæ dos sapientiæ, vitæ sanctitati conjuncta, non modicum commendat; qui vitam hic integram, ab omnibus vitiis alienam virtutibusq; conspicuam ducens, tempestivè semet ad beatissimi num ex hac vitâ abitum præparat, & ad vitæ hujus brevissimæ profluentem sine intermissione clepsydram, vel qualibet horâ attendit. Qualem fuisse, Præstantissimum ac genuina probitate præditum Juvenem **CASPARUM Kretschmer / Vratislaviensem**, cum ingenti omnium bonorum moerore nuper extinctum minimè dubitabimus, si honestam ejus nativitatem, Vitam decentem & piissimam, Mortem verò sanctissimam, cujus notitiam à fide dignis accepimus, impensius perpendemus. Qui A. D. 1638. Mense Aprili, in celeberrimâ Silesiorum Urbe **VRATISLAVIA**, vitam hanc mortalem Parentibus Honestis ingenuæq; probitatis, auspiciatus fuit, Patre nimirum **BARTHOLOMEO Kretschmer / Cive & Chirurgo Vratislavienfi**, Viroq; Optimo. Matre **REGINA Wulffin / fœminâ laudatissimâ**. Avo Paternò, Virò Eximio **CASPARO Kretschmer / Salmonum Amplissimi Senatus Vratislavienfis Inspectore ac Curatore fidelissimo**. Avia paternâ **BARBARA Sindebecken / muliebris sexus decore magnò**. Avo maternò **JACOBO Wulff / Cive & Pellione Vratislavienfi**, qui artem suam honestam cum vitæ integritate non impigrè excoluit. Avia Maternâ **CATHARINA Meyerin / Matrônâ virtutibus adornatâ**. Hisce Christianis ac honestis parentibus majoribusq; quorû vita simplex, à vitis remota, non ambitione vexabatur, non dolo ac insidiis gaudebat; non avaritiâ agitabatur, modicis asueta, de opibus per fas nefasq; corradendis

dendis non cogitabat; his inquam Parentibus ac majoribus, hic Juvenis, præter magnam animi integritatem, ob raram in artibus liberalibus diligentiam, in magnò pretiò habitus, vitæ suæ sumit exordium. Mox verò Sacramento Baptismatis, in templò D. Magdalenæ, Ecclesiæ Salvatoris nostri Christi JESU initiatus, in Divini Numinis cultu ac timore, in Virtutibus illis, quæ veros Christianæ fidei cultores exornant, ab illis ipsis optimis parentibus, quibus humillimam semper obedientiam præstabat, magnâ sedulitate ac solitudine eratus atq; institutus, ut jure merito de illo dici potuerit, quod cum maternò lacte, DEI timorè illasq; virtutes imbiberit, atq; à recentibus unguiculis apprehenderit, quibus pios bonosq; Reipublicæ literariæ Cives conspicuos esse convenit. In ipsâ pueritiâ atq; tenellâ ætate, in quâ cæteri, levitati rebusq; ludicris tempus infumunt, ad ipsam Virtutem, ad actiones laude dignas, ad taciturnitatem, ad morum (quæ in illâ mollissimâ & rudi adhuc ætate rarò reperiuntur) modestiam, ad preces Divinas, cum magnâ parentum & amicorum admiratione, atq; ingenti animi voluptate, totum semet dedit ac devovit. Postquam ipsa literarum percipisset rudimenta, tanto lectionis exarsit desiderio, ut vix unquam à libris separari potuerit. Dum probissimi parentes, summum ejus erga studia fervorem ac amorem adverterent, ab ipsis, Scholæ ac diligentissimis fidelissimisque Præceptoribus fuerat concreditus, qui ipsum, ob tantam ejus diligentiam ac sedulitatem, impensissimò amore laudeq; magnâ prosequerentur. Dum autem maturiores attigisset annos, tantam erga eundem Vir Clarissimus, & Scholæ Vratislaviensis Rector eruditissimus DN. M. VALENTINUS Kleinwechter / benevolentiam declaravit, ut ipsum, ad privatam institutionem, in propriam receperit ædem, perspectâq; ejus fidelitate ac dexteritate, informationem


tionem Nobilissimi alicujus Juvenis, ipsimet commenda-
verit; quâ ille quoque magnâ diligentâ gloriâq; non me-
diocri defungebatur. Jactus jam egregiè Studiorum funda-
mentis, consensu & voluntate suorum amantissimorum co-
gnatorum & Præceptorum, amandatus ad hoc nostrum lite-
rarum ac Scientiarum Emporium, ad hanc videlicet, incli-
tam Academiam, & dilectissimo suo Patrueli DN. JOHAN-
NI PAULO Kretschmer/ Civiapud nos & Chirurgo inter
alios non postremo, impensissimè commendatus fuit. Cui
per integrum ferme biennium, tam probum, tam mansue-
tum, tam mitem, tam jucundum semet declaravit, ut jam eò
vehementiori animi dolore ex ejus afficiatur obitu, quò, in-
timitus prolixiorum illius, jucundissimamque conversatio-
nem expetebat. Exprimi nequit, cum quantò morum de-
core, quantâ benignitate, quantâ humanitate omnibus,
præcipuè autem patrueli suo, amicis, & popularibus con-
vixerit? at luculentum ejus rei testimonium, illi qui il-
lum exactius noverant, & quibus tenaciori amicitia glui-
tinò erat conjunctus ac copulatus, nec sinè lachrymis, per-
hibebunt. In studia præclara, quorum ergò, huc erat
missus, totis industria viribus incubuit, ut non tam in-
citatione ac exstimulatione alicujus ad majorem fervorem,
quam seriâ admonitione indiguerit; nè nimirum tam assi-
duo & indefessò in literis labore, sanitatis & vitæ sponta-
neum pateretur dispendium. Quod inter cæteros fecit ipsius
charissimus Pater, antè annum medium, cum ipsius ineffa-
bili moestitia, è rebus mortalium exemptus; qui aliquoties
per literas, & ultimâ vicè antè extremum vitæ diem, illum
seriò hortatus est; ut scilicet, illum studiorum ardorem in-
termissione aliquâ temperaret, sequè tam eò & antè tem-
pus nimia sedulitate non conficeret. Interim hic indolis
egregiæ Juvenis, qui utraq; manu (quod ajunt) non pollice
tantum

tantum operam dedit literis; qui non in gulæ intemperatiâ, quâ ratio brutescit, non in poculorum concertationibus, sed in honesto & corporis & animi cultu ac exercitio vitâ trans-egerat; hic inquam juvenis, DEO vitæ mortisque arbitrio disponente, præterito die 9. hujus Maji, virium infirmitatē sentire coepit, lectoq; semet fatali tradens, omni ad edēdum & bibendum appetitu frustratus fuit. Sequenti itaque die Virum Experientissimum DN. JOHANNEM BACMEISTERUM, Med. Doctorem & Professorem, Physicumq; Civitatis Ordinarium vocari ad se curavit. Qui equidem, non exiguam in medicamentis suppeditandis, in illoquē visitandō diligentiam adhibuit; quia interim Morbus, majus proh dolor sumebat incrementum, ingensquē torius corporis debilitas, quasi certissimus morus imminentis prodromus sequebatur, animæ quoquē Medicum, nempe Reverendum DN. M. THEOPHILUM Großgebur / cordicitus expetiit; cui ille cum amarissimis lachrymis peccata suâ confessus fuit; & è cujus manibus extremum illud Viaticum, pretiosissimum scilicet JESU CHRISTI Corpus & Sanguinem, cum ineffabili religiosissimæ mentis desiderio accepit. Posthac, suum precationū sacrarū libellum assidue legens, devotissimas Orationes ad Supremum Numen effundens, sequē ad beatissimam ex hac vitâ migrationem præparans, sæpius in hæc verba pientissima, coelestis quasi gloriæ delibans delicias, erumpebat. *VENI DOMINE JESU, AH VENI, VENI JESU ET NOLI TARDARE, QUID CESSAS MI JESU? VENI, VENI.* Cum autem quæreteretur, Cur tanto ardore mortem expeteret ac expectaret? Senolle diutius mundum hunc maledictū oculis dignari, respondit. Cum ipsum quispiam attingere, utq; lenius & mollius decumberet, auxilium aliquod eidem præbere vellet; rogabat

gabat benignissimè, ut illum saltè sic quiescere sinerèt, quem clementissimus DEUS quam citissimè hinc avocabit. Matutinò tempore, omnibus suæ infirmitatis diebus, clarissimâ voce, preces matutinas; Nempè *Jeh dancke dir lieber HEILIG. Aus meines Herken Grunde/ & plures alias, vei, Wie schön leuchtet der Morgenstern/* cum summâ cordis devotione cantabat. Præterito die Saturni, scilicet die XIX. hujus Maji, sub meridiei finem, propriū Patruelè, dilectumq; fratrem ad se accersiri voluit; & quidnam post ipsiq; obitum fieri deberet? sapientissimè disposuit. Dum autem morbus ipseus, aliquò modò de suâ malignitate remisisse videretur, ipseque confortantibus remediis, se, aliquantisper recolligeret, optimam sanè suam conditionem fuisse asseruit, curque in illâ ipsum perseverare non permiserint? sollicitè inquisivit. Tandem dum illucetceret nuper elapsus lunæ, sive ferriæ secundæ dies, cum ineffabili sanè religione, canere & orare incoepit, atq; in hisce suspiriis ac exclamationibus. *Ach mein JESU/* usque ad quadrantem post horam quintam auditâ, permansit. Et tandem, in profundum quasi redactus silentium, placidissimè animâ exspiravit; postquam Vingtis saltem duorum annorum ætatem, lectissimus hic juvenis vitâq; longiori dignissimus explevisset. Cujus corpus insignis profecto animæ diversorium, quandoquidem hodiernæ diei horâ I. pomeridianâ, tumulò in templò Jacobæo paratò componi debet, Omnes omnium Ordinum Cives Academicos, sedulò & amanter oro, ut illud ad sepulchrum frequentes deferatis, Juveniq; præstantissimo, & probissimo, decenti solennitate exequias eatis. Eternum vero J E H O V A H, in hac ipsâ funeris deductione, pectore devoto obsecratis, ut nostri quoq; misertus, bonum vitæ hujus brevis finem, nobis clementissimè largiatur; nostramque Megapolim, ad incitas proh dolor! redactam, potenti suâ dextera sublevari dignetur. P. P. Rostochii die 24. Maji, A. D. 1660.

Sub Sigillò Universitatis.

*Convenient Academia Cives horâ mediâ primâ
in Templo Jacobæo.*



dendis non cogitabat; his inquam Parentibus
hic Juvenis, præter magnam animi integritatem
in artibus liberalibus diligentiam, in magnâ
vitæ suæ sumfit exordium. Mox verò Sacramenti
in templo D. Magdalenæ, Ecclesiæ Sacerdotum
Christi JESU initiatus, in Divini Nominis
in Virtutibus illis, quæ veros Christianæ fidei
ornant, ab illis ipsis optimis parentibus, quibus
semper obedientiam præstabat, magna sedulo
tudine erat educatus atq; institutus, ut jure me
potuerit, quod cum maternò lacte, DEI timore
tes imbibere, atq; à recentibus unguiculis
quibus pios bonosq; Reipublicæ literariæ Ci
esse convenit. In ipsâ pueritiâ atq; tenebris
cæteri, levitati rebusq; ludicris tempus insu
Virtutem, ad actiones laude dignas, ad taciturni
morum (quæ in illâ mollissimâ & rudi adhu
periuntur) modestiam, ad preces Divinas, cur
tum & amicorum admiratione, atq; ingentibus
te, totum semet dedit ac devovit. Postquam
rum percepisset rudimenta, tanto lectionis
rio, ut vix unquam à libris separari potuerit
simum parentes, summum ejus erga studia fer
rem adverterent, ab ipsis, Scholæ ac diligen
simisque Præceptoribus fuerat conceditus
tantam ejus diligentiam ac sedulitatem, imp
re laudeq; magnâ prosequerentur. Dum a
res attrigisset annos, tantam erga eundem Vi
Scholæ Vratislaviensis Rector eruditissimus
LENTINUS Kleinwechter / benevolentiam
ipsum, ad privatam institutionem, in pro
ædem, perspectâq; ejus fidelitate ac dexter

